

A. W. 101.

45 XLVII
DISSERTATIO PHILOLOGICO - THEOLOGICA
DE 46

**CANTICO
CANTICORVM
SALOMONIS,**

QVAM

DEO VIVO ANNVENTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D N. CAROLO,
PRINCIPE PORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, ET RELIGVA,
PRÆSIDE

IO. HEINRICO MICHAELIS

S. S. THEOL. ET SS. LL. PROF. PVBL. ORD.
FAC. THEOL. h. t. DECANO,
PATRONO SVO, PRÆCEPTORE ACHOSPITE
ÆTERNVM VENERANDO,

A. D. XXI. April. clō lōcc xvii.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

Placido Eruditorum Examini subjecit

SAMVEL MARQVARD,

BERNAVIENSIS MARCH. S. Th St.

AVCTIVS RECUSA

Sumtibus CHRISTIANI HENCKELII
HALAE MAGDEBURGICAE clō lōcc xxxviii.

VIRO
ADMODVM REVERENDO AC AMPLISSIMO,
DOMINO
IO. CASPARO TREBBEN,
ECCLESIAE BERNAV. PRÆPOSITO,
CAETERARVMQVE IN DIOECESI BERNAV.
SCHOLÆQVE INSPECTORI
VIGILANTISSIMO:

ET
VIRO
PER-REVERENDO AC AMPLISSIMO,
DOMINO
CHRISTIANO SYLVANO,
ECCLESIAE BERNAV. ARCHI-DIACONO
FIDELISSIMO,

Dominis Patronis

aque

Fautoribus suis,

eratem colendis,

Hoc studiorum specimen ea, qua par est,

animi observantia

offer & dicat,

omnemque

in Christo, unico benedictionis

fonte,

benedictionem divinam

& uberrimam

ex animo precatur

SAMVEL MARQVARD

Bern. Marchi.



LECTORI BENEVOLO

Χάριν καὶ εἰρήνην, καὶ τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς
γνώσεως ἀγάπην τῷ κρείττῳ precatur Praefes.



Resoluimus his ipsis diebus publicas
praedlectiones in *Canticum Cantico-
rum*: quibus quum adfidue etiam
interfuerit Pereximius ac praestanti-
sissimus Respondens, non potui,
quin probarem valde eius consili-
um, quo praecipua quaestionum
capita, quae circa hunc difficilli-
mum Scripturae Canonicae librum exposita fuerunt, hac
dissertatione repetere, & menti ac oculis Commilitonum
de nouo quasi consideranda subiicere, secum constitu-
it. Vt enim non sine publica eruditorum Virorum
adprobatione prodierunt similes de *Iesaja* propheta, e-
iusque vaticinio; de *Ieremia*, de *Prouerbiis* & de *Ecclesi-
aste* Salomonis, habitae dissertationes, quae breuis intro-
ductionis vicem in laudatos libros tironibus praestarent:
ita nec minus nunc gratum fore sacrarum litterarum
studiosis confidimus, quando potiora momenta, quae
circa praestantissimum hoc Salomonis scriptum in ge-
que

nere notanda veniunt, breviter exposita videbunt. Itaque sine ambagibus dicemus heic.

- | | |
|--|---|
| <p>§. I. De <i>instituto</i> dissertationis.</p> <p>§. II. De <i>titulo & auctore</i> Cantici.</p> <p>§. III. De <i>ejus dignitate & canonica auctoritate.</i></p> <p>§. IV. De <i>tempore & occasione</i> ad scribendum.</p> <p>§. V. De <i>scopo & argumento.</i></p> <p>§. VI. Ex veterum & recentiorum Interpretum consensu.</p> <p>§. VII. De <i>obiecto</i> Cantici, <i>Sponso & Sponsa.</i></p> <p>§. VIII. De <i>Parallelismo</i> in Vet. & N. Test. observando: vbi etiam scrupulus aliquis tollitur, & certo respectu Canticum propheticum esse conceditur.</p> <p>§. IX. De <i>forma s. modo tra-</i></p> | <p><i>Handi dramatico vel dialogistico.</i></p> <p>§. X. De <i>stilo</i> difficili & figurato.</p> <p>§. XI. De <i>distributione libri & partium eius.</i></p> <p>§. XII. De <i>requisitis</i> in lectore.</p> <p>§. XIII. <i>Conclusio</i> tandem voto instituitur; a quo & nunc merito exordimur: vt DEVS per abundantiam gratiæ ac misericordiæ suæ, qua in IESU CHRISTO nos profecquitur, omnia dicta ac cogitata nostra ita dirigat, quo cedant in laudem ipsius summi Numinis, & Servatoris nostri, qui ipse Sponsus Ecclesiæ suæ est & animarum nostrarum.</p> |
|--|---|

§. I.

*Institutum
dissertationis
de Cantico
Canticorum,*

Quod de præstantioribus scriptis dicere Hebræi solent: ספר מעט הכמות ורב האיכות
Parvus liber quantitate, sed magnus qualitate;
 id iure meritoque etiam de sapientissimi Regis divino hoc Carmine seu Cantico inprimis dixeris.
 Tan-

Tanta enim sublimissimarum rerum copia sub brevibus, iisque figuratis verbis in eo exhibetur, ut vix cogitatione omnes adsequi, aut sufficienter apud animum experiri, nedum verbis enarrare eas, & explicare aliis dicendo quis satis possit. Vnde ingenue nec minus prudenter ISIDORVS CLARIVS statim ab initio adnotationum suarum in hunc librum scripsit: *Tu vero ne a me, pie Lector, exspectes, quod tibi hic delitescencia explicem divina illa mysteria. Nam præterquam, quod ad instituti operis rationem non pertinet illa ingens exspatiatio, fateor, me nondum in cellam illam vinariam C. II, 4. cum Sponsa introductum: quod necessarium tamen prorsus mihi videtur iis, qui tuto hos caelestes amores sint tractaturi. Bernhardi alicujus est, ejusque similiū, hoc negotium, qui, quod experientur ipsi apud se, eloqui aliqua saltem ex parte possent &c.* Attamen nec ipse facundissimus Pater BERNHARDVS octoginta & sex homiliis suis plura, quam primum & secundum hujus Cantici capita enarravit; & qui illius laboris continuationem suscepit, GILBERTVS Abbas, quadraginta & octo sermonibus inde a Cap. III. Cantici ultra versum 10. Capitis V. non peruenit. Quare, præsertim intra præfixam nobis angustiam, opis etiam nostræ aut virium non erit, Lectoribus omnes hujus divini Carminis divitias hic pandere; sed breviter tantum vnum vel alterum momentum hac dissertatione declarabimus, quod rite observatum, animos incipientium & excitare, & adversus deviationes aliorum præmunire, ad verum autem ejus vsum & sensum per divinam gratiam dirigere quodammodo possit. De reliquis vberius informandos ad prælectiones nostras, & Interpretes longe plurimos, quos tamen omnes evolvere nunc per tempus nobis non licuit, v. c. ex No-

stris ad D. ABRAHAMVM CALOVIVM, & ex Reformatis ad Io. MARCKIVM, qui reliquorum sententias in compendio simul adduxerunt; inprimis vero ad piam orationem, & sedulam meditationem, ejusque fidelem vsum, sub exercitio quotidiano & tentationibus, ablegamus. *

§. II.

cujus Titulus
& Auctor.

Notandus igitur statim in ipso limine est Cap. I. i. *titulus libri authenticus*: quippe non ab humana industria aut *alia manu* sequentibus demum sæculis adjectus; sed ab ipso etiam Spiritu S. & Salomone, tanquam Auctore Cantici, profectus. Causa enim nulla est, cur de eo aliter sentiamus, quam de Psalmorum aliorumque librorum inscriptionibus, ex quibus eorum Auctores certo cognoscuntur. Vide Hab. III, 1. Psalm. III, 1. &c. a) Is vero habet שיר השירים i. *Canticum Canticorum Salomonis*. Quæ locutio non tam de pluribus Salomonis carminibus i Reg. V, 12. hoc vnum hodie superesse significat, b) quam eorum omnium, immo & ceterorum, quæ vnquam prodierunt aut scripta sunt, *excellentiſſimum* id esse & *præſtantiſſimum*. Quia, vt verbis

* Nec nihil ad rem ipsam intelligendam faciunt, quæ Cl. Autor Dissertationis de *Odio penitentiali* toto Capite secundo ex Psalm. XLV. 11. 12. collato *Cantico Canticorum* Ao. 1704. in Academia nostra congeſſit, Præſide Venerando D. P. ANTONIO.

- a) Talmudici quidem nonnulli in Codice *Baba Bathra* c. I. f. 17. a, dicunt: חוקיה וסיעתו כתבו ישעיה משרי שיר; השירים וקולות; sed vide quæ de isto commentio notata sunt in Diff. de Proverbiis Sal. §. XII. p. 9. seq. & Dissert. de Coheleth §. II, p. 5.
- b) Vide hoc disputatum in diff. de Proverb. Sal. §. VII. Tribuuntur eidem alias Psalmi LXXII. & CXXVII. it. CXXXII. vbi confecti aliquando poterunt a nobis notata. Immo haud ita pridem germanice etiam editum est *Psalterium* quoddam *Salomonis*; sed inter Apocrypha connumerandum, coll. Præf. nostræ in Psalmos §. XII.

bis CALOVII in Adnott. ad hunc librum p. 1250. dicamus: In hoc Cantico summa & eminentissima mysteria, excellentissimo artificio, verbisque profundissimam rerum sapientiam spirantibus, efferuntur: ut nullum unquam Canticum reperire sit, quod cum hoc conferri mereatur, nedum praeferrī eidem debeat &c. Locutio ergo hujus tituli Hebraica comparanda cum similibus est, e. c. quum tritissima phrasi קדוש קדוש קדוש dicitur sanctissimum, ערי עריי Ornatus excellentissimus Ezech. XVI, 7. שר שריי Dan. VIII, 25. & נשיא נשיא נשיא Num. III, 32. Princeps summus; מלך מלכי Rex Regum, Ezech. XXVI, 7. coll. Apoc. XVII, 14. c. XIX, 16. אלהי האלהי ודני האדני Deus deorum & Dominus dominorum Deut. X, 17. שמי השמי Caeli colorum 1 Reg. VIII, 27. & similia: item quum Syrus huic Cantico in ejus commendationem praemisit: Sequitur SAPIENTIA SAPIENTIARVM Salomonis &c.

§. III.

Exinde ergo statim patescit quoque summa hu- <sup>Dignitas & divina aucto-
ritas.</sup> ius libelli dignitas, & Auctoritas ejus Canonica ac divina. Quam, quum temere in dubium vocaverint veteres quidam haeretici, c) etiam illi magnopere laedunt, qui perperam cum CASTELLIONE aut GROTIO Canticum *litera- liter* de amoribus Salomonis erga filiam Pharaonis; *al-* legorice autem demum vel de Deo & Israclitis, vel *ty-* pice de Christo & Ecclesia intelligendum putant. Mul- toque atrocius in sanctissimum carmen injuriosus fuit profanus animus ejus, qui se aliquot abhinc annis sub nomine *Theologorum quorundam Batavorum* Richardo Simonio opposuit, nihilque hic sanctum esse voluit, sed

c) A PHILASTRIO Haeresi 131. notati, & a B. Theodoro Praef. explica- tionis in Cant. acriter refutati.

sed merum idyllium de Salomonis amoribus, idque stilo adeo duro ac dithyrambico compositum, ut cum cyclopiis illius Polypheni carmine apud Ovid. Metam. XIII. sit comparandum &c. a doctissimo WIRTSIO Miscell. S. Tom I. Libr. I. c. XVIII. p. 228. seqq. aliisque ex merito suo castigatus. Rectius omnino inter Judæos nunquam de sanctissimi scripti dignitate & auctoritate scrupuli moti sunt. d) Vnde in Tractatu Talmudico *Iadaim* sub finem Capituli tertii fol. 157. col. 1. post alia R. AKIBA tandem sic pronunciat: *Absit omni modo, ut quis Israelitica negaret, quod Canticum Canticorum non polluat manus, sive non sit sacrum: quia totus mundus tanti non est, ac ille dies, quo Canticum Canticorum Israeli est datum.* **שכל הכתובים קדש ושיר השירים קדש קדשים** *Omnia enim Hagiographa e) sacra sunt, sed Canticum Canticorum est sanctissimum. Et si qua de Salomonis scriptis dissentio fuit, ea tantum de Ecclesiaste fuit.* Sic Abr. b. EZRA Præf. in hunc librum: **הלילה חלילה להיורג שיר השירים: כדברינו חשק כי אם על דרך משל: ולולי גדל מעלתו לא נכתב בסוד כתבי הקדש ואין עליו מחלקת:** ait: *ut Canticum de voluptate carnali agat; sed omnia figurate in eo dicuntur. Nisi enim maxima ejus dignitas fuisset, inter libros Scripturæ S. relatum non esset: neque ulla de eo esset controversia. Et quamvis explicitam hujus Cantici allegationem in sequentibus divinis libris haud factam*

d) Etsi perperam non parem venerationem erga Salomonis Ecclesiasten semper habuerint omnes malefani eorum Doctores: coll. Diss. de Coheleth §. XXV. p. 45. 1q.

e) **ABARBANEL** Comment. in I Reg. III, 12. fol. 209. b. legit **שכל השירים** *nam omnia quidem cantica sacra sunt &c.* Sed lectionem Talmudicam sequitur etiam Midrasch Schir & R. S. AL. Comment. h. l.

Etiam meminerimus; dubium tamen nobis prorsus non est, quin ad eundem pasum cum in Vet. tum in N. T. respiciatur. Confer e. c. Eph. V, 27. cum Cant. IV, 7. & Cant. V, 2. cum Apoc. III, 20. Cant. VIII, 11. cum Matth. XXI, 33. item Cant. I, 4. cum Joh. VI, 44. & Apoc. XIX, 7. Cant. I, 6. cum Hof. II, 17. Cant. I, 10. 11. cum I Tim. II, 9. I Petr. III, 3. Cant. II, 8. cum Joh. III, 29. & c. X, 3. & c. XIV, 18. 23. coll. Cant. VIII, 13. Cant. II, 13. cum Matth. XXI, 32. Cant. III, 6. cum Jerem. XXXI, 2. Hof. II, 16. 17. Cant. VIII, 9. cum I Cor. III, 12. Vt plura alia nunc taceamus:

§. IV.

Auctor igitur Cantici sine dubio Salomo est, vt ^{Tempus &} modo etiam ex ipsius testimonio c. I, 1. diximus. ^{Occasio.}
quo vitæ ipsius tempore, aut qua occasione compositum sit, de eo neque ex titulo hujus libri, neque aliunde ex facris litteris certum nobis datur indicium; sed probabiles tantum conjecturæ sunt, quæ in diversam sententiam Viri docti pro rationibus adferunt. Qui enim cum LIGHTFOOT in Chron. V. T. p. 75. existimant, scripturam Cantici referendam esse ad aliquod illorum temporum, quæ lapsus Salomonis præcesserunt, ad I Reg. V, 12. non sine specie probabilitatis provocant: vbi quum magna Salomonis facta, & eminentis ipsius sapientia laudantur, etiam mille & quinque Cantica, in quibus & hoc sine dubio ponendum sit, composuisse legitur; coll. verborum ordine apud Sirac. cap. XLVII, 17. Ita non tantum ex Hebræis R. IONATHAN sensu in Jalkut ad I Reg. III. fol. 28. col. 3. sed plures etiam Christiani Doctores, & ex his CORNELIVS LAPIDE in Prolegomenis c. I. Ex dictis, inquit, colligi videtur, quod Salomon hoc Canticum scripsit

B.

*psertit non diu post nuptias suas cum filia Pharaonis, quan-
do donatus a Deo sapientia caelesti, caste & pie Deum cole-
bat: Vnde vocatus ab eo est IEDIDIA i. e. amabilis Domi-
no &c. Specialius tamen LIGHTFOOTVS l. c. p. 76. tempus
figit; & Canticum post constructam in salu Libani domum
aestivam 1 Reg. VII, 2. cap. X, 17, 21. super deductione filiae
Pharaonis in domum, quam ei paraverat 1 Reg. IX, 24. ad-
eoque anno regni sui 21 a Salomone conscriptum esse
putat. Quod colligit ex his locis Cantici, cap. IV, 8.
Mecum inde a Libano, O Sponsa! mecum inde a Libano veni.
Et Cap. VII, 4. Nasus tuus similis est turri Libani. Quam-
vis enim (pergit LIGHTFOOTVS) potissimus praecipuusque
ejus scopus terreno sit sublimior; attamen conjugium hoc
suum cum filia Pharaonis typum facit sublimis illius & spi-
ritualis conjugii Christum inter & Ecclesiam. Filia Pharao-
nis gentilis erat, & ortu suo Ecclesiae Israeliticae peregrina,
& praeterea Aethiopissa, utpote Asra (vi Cant. I, 5. 6. ad id
alluditur) atque eo aptior typus erat eorum, quae Salomo per
omnia intendebat. Verum, etsi haud difficulter concedi-
mus, coll. D. MAH Oecon. V. T. pag 811. & 844. certo
respectu typicum fuisse illud Salomonis cum filia Pha-
raonis conjugium, quod a Patre Davide procuratum
fuisse, quidam putant, coll. Psalm. XLV, 1. alii vero in-
ter Salomonis peccata numerant, coll. SEB. SCHMIDIO ad
1 Reg. III, 1; nondum tamen ita certum est, divinum
hoc Canticum ea occasione scriptum fuisse, multo mi-
nus typicum esse argumentum, de quo mox pluribus a-
getur. Immo plures sunt inter Hebraeos & Christia-
nos, quibus ei adversa conjectura, tanquam probabilior
& rationabilior magis arridet, quod Salomon senex de-
mum, quum a mundanis illis & insanis amoribus suis
animum per veram poenitentiam & fidem repurgasset,
hoc*

hoc Canticum, tanquam clarissimum genuinæ pœnitentiæ suæ documentum, ediderit. Ita Hebræi in *Seder Olam Rabbah* Cap. XV, p. 41. ed. MEYERI לעת זקנתו שלמה סמוך למותו שרתה עליו רוח הקדש ואמר: סריים הללו משלו שיר השירים וקחורו: i. e. *Quum senex jam factus esset Salomo & morti vicinus, Spiritus S. in ipso habitavit, & ita composuit tres illos libros, Proverbia, Canticum Canticorum & Ecclesiasten.* Sic iidem in *Schalscheleth Hakkabbala* edit. Cracov. fol. 15. a. & in *lalkus* ad 1 Reg. III. fol. 28. c. item in *Midrasch Schir* fol. 2. d. &c. Sic D. MAIVS *Oeconom.* V. T. p. 844. „Nec minus, ait, quam *Ecclesiastes, Canticum*, excellentissimum conversionis Salomonis documentum præbet. Ac „valde probabile est, Regem, pertæsum amoris impuri „tot mulierum ac pellicum peregrinarum, animam resipiscentem & purgatam, vnice Christo Sponso reddidisse, & suavissimo ejus fidelissimoque amore repletum, per Spiritum amoris divini sanctissimum euctasse carmen, exprimens maximum mysterium „de Christo & Ecclesia, Eph. V, 32. Idem etiam sentit HEIDEGGERVS in *Enchiridio* suo biblico p. m. 469. aliique plures. Immo veteres Ecclesiæ Christianæ Doctores vltimum Salomonis scriptum, quod Ecclesiæ reliquerit, hoc ipsum Canticum fuisse, ex eo colligunt, quod id vltimum locum in ordine biblico apud Christianos occupet, sicut nunc apud Hebræos intermedium: atque ita velut per gradus quosdam in tribus his libris conscribendis Salomonem lectores suos ad perfectionem deducere voluisse putant. Ita ORIGENES *Hom. l. in Cant.* apud *HIERON.* tomo VII. fol. 66. b. seq. „Tenemus primum de eo requirere, quid illud sit, quod „quum *tria volumina* Ecclesia Dei a Salomone scripta „suscepe-

„susceperit, primus ex ipsis *Proverbiorum* liber positus
 „sit, secundus is, qui *Ecclesiastes* adpellatur, tertio ve-
 „ro in loco *Canticum Canticorum* volumen habeatur?
 „ - - Salomon ergo tres istas, quas supra diximus,
 „generales esse disciplinas, i. e. *moralem, naturalem &*
 „*inspectivam*, distinguere ab invicem & fecernere vo-
 „lens, tribus eas libellis edidit, suo quoque ordine fin-
 „gulis consequenter aptatis. - - *Inspectivum* quo-
 „que locum in hoc libello tradidit, qui habetur in ma-
 „nibus, i. e. *Cantico Canticorum*, in quo amorem *caelestium*
 „*divinorumque desiderium incutit animæ, sub specie Sponsi*
 „*ac Sponse, caritatis & amoris viis perveniendum docens ad*
 „*confortium Dei.* Rotundius HIERONYMVS tomo VII.
 „fol. 39. b. Salomo, inquit, tria volumina edidit: Pro-
 „verbia, Ecclesiasten & Cantica Canticorum. In Pro-
 „verbiis parvulum docens, & quasi de officiis per senten-
 „tias erudiens; inde & ad filium ejus sermo crebro re-
 „petitur: in *Ecclesiaste* vero maturæ virum ætatis institu-
 „ens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum,
 „sed caduca & brevia vniverfa, quæ cernimus. Ad ex-
 „tremum jam *consummatum virum* & calcato sæculo præ-
 „paratum, in *Cantico Canticorum* Sponsi jungit ample-
 „xibus. Nisi enim prius reliquerimus vitia, & pom-
 „pis sæculi renunciantes, expeditos nos ad adventum
 „Christi paraverimus, non possumus dicere: *Osculetur*
 „*me osculo oris sui!* Brevissime idem de hac re Tomo III. p.
 „9. ad Paulinum sic scribit: *Salomon pacificus* (1 Par. XXII. 9.)
 „*& amabilis Domini* (2 Sam. XII. 24. 15.) *mores* corrigit,
 „*naturam* docet, *Ecclesiam* jungit & *Christum, sanctorumque*
 „*nuptiarum dulce canit epithalamium.* Fatemur, solidum
 non esse fundamentum, aut apodicticam rationem, quæ
 ex illo ordine librorum in Bibliis vernaculis petitur;
 res

res tamen ipsa non minus probabilitatem aliquam habere videtur, quam LIGHTFOOTI aliorumque sententia. Vnde liberam de hac quaestione statuendi facultatem, Lectori libenter relinquimus. Vide sis etiam GEIERV in Prolegom. ad Proverb. Salomonis § 2. & MARCKIVM. ad Cant. I, p. 8. seqq. vt plures non adlegemus.

§. V.

Ad aliam, eamque majoris momenti quaestionem *Scopus & Argumentum.* de *Scopo & argumento* libri nunc pergimus, paullo vberius, quam §. 1. & 3. jam factum est, enarrandam. Adeo enim diversis doctorum opinionibus impedita hic res est, vt vel sola huius quaestionis liberior evolutio, iustum tractatum deposceret. Firmiter autem cum Christianis statuimus (1) *argumentum huius Cantici non esse historicum*, h. e. Salomonem minime, quod Hebraei ex parte volunt, proposuisse sibi, vetera Dei in populum Israelitarum collata beneficia inde a *vocatione Abrahami usque ad sua, Salomonis, tempora*, figurato sermone praedicare. f) Nihil enim in toto Cantico est, quod eam sententiam nobis commendare possit: etsi respectum ad pristina Dei beneficia minime negamus, aut ceteroquin Ecclesiam Israeliticam, quatenus ad Christum, verum illum & antitypicum Salomonem, conversa olim fuit, aut convertenda adhuc est, ab huius tanti beneficii & catholici Sponsi communionem excludimus, coll. Psalm. XLV, 10. seqq. &c. *Multo minus* (2) concedendum audacibus ingeniis est, vt ex divinis & sacris amoribus huius Cantici, profanum aliquod aut *carnale idyllium* nobis faciant,

B 3 cui

f) Quomodo interpretationem suam magna ex parte instituunt Targumista s. Chaldaeus, it. R. SALOMO, additis abunde *μύθους σαφοφισμένους*. A. b. E. etiam Praef. in hunc librum: *Incipit, inquit, Salomo a diebus Abrahami usque ad tempora Messiae, &c.*

cui sacri aut sancti nihil subit, nisi quod improbus Interpretum labor in illud contulerit. Quæ impia opinio jam supra notata, & merito improbata a cordatis Viris fuit. Nihil enim hic occurrit, quod sanctum, castum, pudicum & immaculatum non sit; modo sanctum & Deo ac Christo dicatum animum quis adhibeat. Amores aut faces hic nullæ sunt, nisi a cœlesti igne accensæ, quo sanctiores animæ ardent, & in cœlum feruntur, coll. Cant. VIII, 6. Neque etiam (3) GROTIUS adurgimus, qui revera *triplicem Cantici sensum* constituit: I. *literalem* & proprium de Rege Salomone, ejusque Sponsa, filia Regis Ægypti, II. *allegoricum*, de amore Dei adversus populum Israeliticum, quem sub verbis Cantici studio nec absque singulari artificio expressum, adeoque ab ipso etiam Salomone intentum fuisse, autumat; III. *typicum*, de amore Christi erga Ecclesiam; quem non improbat GROTIUS, quatenus laudabili opera Christiani Doctores verba Cantici ad eam rem *applicare* studuerint. Vti vero illud Grotii commentum, & ineptas sæpe, immo pudendas nonnunquam & obscenas ac portentosas ejus glossas, e. c. ad cap. V, 7. cap. VI, 10. vel II. cap. VIII, 5. 9. 13. 14. ABR. CALOVIVS operose evertit; ita (4) neque *typicum* illorum *sensum* de Christo & Ecclesia admittimus, qui verba tamen Cantici, non minus quam GROTIUS, *proprie de Salomonis amoribus* erga sponsam suam accipiunt. g) Sensus enim Cantici is est,

g) In his etiam fuit Arabs Historicus, ABULFARAGIVS, qui vers. lat. p. 35. ita commentatur: *Cantici sensus exterior ostendit, Salomonem confabulari in eo cum Pharaonis filia fusca, illamque cum ipso confabulari. Doctores autem nostri, eum interpretati dixerunt, Amatricem illam esse animam rationalem, cuius pulchritudo mutata est pollutionibus corporeis; illum autem, quem amat, esse Creatorum suum, qui amatur propter se, tum a se tum ab aliis, qui in eo se oblectant.*

est, quem Salomo intendit; & scopus scripti ab ejus occasione (si vel maxime de hac certo constet) probè semper est discernendus. Nec similitudo rerum, aut allusio aliqua, ad constituendum typum sufficit. *b)* Vnde tutius omnino est, amores Salomonis conjugales, etsi legitimos ac castos, ab intentione illius, & a proprio hujus *Cantici sensu* prorsus excludere; *i)* quum talia præsertim hic occurrant, quæ literaliter neque in Salomonem, neque in ejus sponsam, filiam Pharaonis, conveniunt. *k)* Nec tamen etiam (*s)* ita *Prophe- ticum* illud esse adhuc persuasi sumus, vt vel solummodo de Israelitis illud agere, cum R. Salmone *l)* ali-

isque

b) CALOVIVS p. 1252. n. 12. Neque vero id quaeritur, utrum similia istis, quæ quoad sensum proprium in Cantico habentur, in conjugio & amore connubiali reperiantur? Aut an Salomo, occasione & sentu amoris sui connubialis (2 Sam. I, 26.) de suavissimo & castissimo amore Sponsi mystici cecinerit? quod citra detrimentum veri & genuini sensus concedi posset &c.

j) Rectè MERCERVS præf. in h. l. Ego sane Salomonem, quum hæc scriberet, ita stilum & calamum suum temperasse puto, vt externas nuptias & terrestres non cogitaret, sed omnia sublimia, mystica, spiritualia & cælestia.

k) Ita v. c. Pharaonis, magni Regis, filia, non erat vineæ aut ovium custos cap. I, 6. 8. nec soror Salomonis c. IV, 9. Neque etiam illa per plateas noctu discurrit cap. III, 1. 2, aut a vigilibus vrbis percussa, vulnerata ac spoliata fuit, cap. V, 7. &c.

l) R. Salomo Præf. in hunc librum: Dico ego, inquit, quod Salomo in Spiritu S. præviderit, quod Israelitæ in exilium post exilium abducendi, & excidio post excidium obnoxii futuri essent, & in præsentis exilio quiriraturi de pristina gloria sua, ac recordaturi pristinae dilectionis Dei, quum peculii instar ex omnibus gentibus ipsi fuerunt; tandemque dicturi: *Ibo & revertar ad maritum meum primum, quia melius tunc mihi erat, ac nunc est*, Hof, II, 9. & sic recordaturi beneficiorum ipsius, & suæ prævaricationis, qua prævaricati fuerunt, & bonorum, quæ promissit, se illis daturum *in fine dierum* s. novissimo tempore &c.

isque *m*) sentiamus; vel cum cocceio, ejusque imitatoribus, *periodicum* esse Canticum, & post introitum c. I, 2-4. Ecclesie N, T. statum, ac variantes illius conditiones, inde a nato Christo vsque ad mundi finem, per certas & septem distinctas periodos hic depingi agnoscamus; sed (6) idem, quod Psalms XLV. *n*) ita scilicet propheterico-dogmaticum, vt *Articulus de unione mystica totius Ecclesie & pie cujusque anime cum Christo, & utriusque illius (Ecclesie nempe & anime) varii status, infirmitatis, tentationis, desertionis, persecutionis &c. (*) item proprietates, incitamenta, vinculum ac fructus mutui amoris, perpetua sub allegoria explicantur.*

§. VI.

m) Qui triplicem Judæorum conditionem, credentium, incredulorum, & ab incredulitate converforum hic describi putant.

n) Qui *Carmen dilectarum* inscribitur, & hujus Cantici quoddam quasi brevium est. CALOVIVS p. 1252. Insignis illa harmonia, que huic Cantico cum Psalms XLV. intercedit, quam *αἶς ἐν τῷ πῶ* B. GERHARDVS Pref. in Postill. Salomonis c. V. exhibuit, satis docet, de nullo alio Sponso hic cani, quam de *Messia*, de quo in predicto Psalms agit: *adeo vt videri possit, Salomonem hic constituisse, Commentarium in Eptibalaniam illud spirituale Parentis sui adornare.*

(*) Cum enim in hac vita tantum primitias Spiritus acceperimus, et re-generatio (five renovatio) nondum sit absoluta, sed solummodo in nobis inchoata: manet perpetua quaedam lucta inter carnem et Spiritum, etiam in electis et vere renatis hominibus. Et quidem non modo inter Christianos magnum discrimen deprehenditur, quorum hic infirmus, ille robustus est spiritu; verum etiam hanc diversitatem quilibet Christianus in semetipso animadvertere potest, se nunc quidem excelsio animo esse, & ad omnia, virtute Spiritus, paratum promptumque; nunc vero timido et trepido: & jam quidem charitate ardere, firmum in fide & spe esse; post vero frigere, & ambecillitatem suam sentire. Sicut legimus in Libb. Symb. p. 675.

§. VI.

Hac autem in sententia plerosque & præcipuos, *Ex Consensu Veterum & recentiorum Interpretum*
 ni fallor, consentientes habebimus tum Veteris tum recentioris Ecclesiæ Doctores; quos magno numero CALOVIUS p. 1253. aliique allegant; nos autem brevitatis causa vnum vel alterum tantum adducemus. Ita AUGUSTINUS de Civitate Dei lib. 17. c. 20. *Canticum Canticorum*, inquit, *spiritualis quedam est voluptas sanctarum mentium - - Sed hæc voluptas allegoricis regminibus involuta est, ut desideretur ardentius, nudereturque jucundius & appareat Sponsus &c.* Sic BERNHARDUS Serm. I. in Cant. p. m. 748. „Salomo divinitus inspiratus *CHRISTI & Ecclesiæ* laudes, & sacri amoris gratiam, & æterni consububii cecinit sacramenta: simulque expressit sanctæ desiderium anime; & epithalemii carmen, exultans in Spiritu, jucundo composuit evlogio, figurato tamen. Idem sub finem Serm. XII. p. m. 792. Et si nemo nostrum sibi arrogare præsumat, ut animam suam quis audeat sponsam Domini adpellare; quia tamen de Ecclesia sumus, quæ merito hoc nomine, & re nominis gloriatur, non immerito hujus gloriæ participium usurpamus. Quod enim simul omnes plene integreque possidemus, hoc singuli sine contradictione participamus. Sic GLASSIUS Philol. S. L. 5. c. 20. p. m. 1959. Non incongrue quidam periochen Cantici hujus esse statuunt, quod sit poema spirituale de amore inter Christum & Ecclesiam s. cæterum fidelium: item de fidelium statu in hac vita; de illorum virtutibus atque defectibus & infirmitatibus, deque illorum officio: nec non de virtutibus & gloria Christi, deque beneficiis ejus erga fideles &c.

C

§. VII.

§. VII.

Objectum
Cantici,
Sponsus &
Sponsa. Qui?

Facile ergo sic constabit, quis per *Salomonem* h. e. *altissimæ pacis Regem*, coll. typo 1 Par. XXII, 9. 1 Reg. IV, 20. atque ejus Sponsam o) in mystico & prophético hoc carmine intelligatur? Certe quod ipse Salvator & Sponsus animarum nostrarum, Christus, Matth. XII, 42. & Luc. XI, 31. in alia causa dixit: ἰδοὺ πλείον Σολομῶντι ἢ ὕδωρ! Ecce plus hic est Salomone! etiam hic obtinere, ipsi quoque Judæi, etsi misere alioquin in liquidissimis testimoniis Scripturæ de Christo nunc cæcutientes, non sine consensu docent. Ita enim veteres in *Midrasch Schir* fol. 7. col. 3. & apud R. SALOMONEM ad Cant. I, 1. tradunt: כל שלמה האמורים בשיר השירים קדש מלך שהשלום שר: i. e. *Quoties nomen Salomonis in Cantico Canticorum occurrit, semper divinum & sanctum est p) notatque Regem, cujus est pax sua, vel qui perpetuo pace gaudet.* Sic MAIMONIDES in Iesode Torah c. VI. fol 9. col. 2. & R. IOSEPH KIMCHI, ab ABENDANA in Spicilegio ad MICHLAL IO PHI In Psalmum 72. fol. 177. b. laudatus; item A. b. E. comment. ad Coh. VI. ita inquires שר ממרש שר הלא ידענו שכל שלמה האמור שם הוא קדש וענינו השירים שכל שלמה האמור שם הוא קדש וענינו שר: *Annon ex Medrasch in Canticum novimus, quod quotiescunque mentio illic fit Salomonis, id sacrum nomen sit, eumque significet, qui pace sua gaudet?* Et quamvis idem A. b. E. præfatione in Canticum perperam sibi contrarius est, & vnum tantum Cantici locum c. VIII, 12. *Messia* relinquit, cetera ipsi Salomoni tribuit; *Messiam* tamen *Salomonem* dici, recte agnoscit, non minus ac *Davidem*, coll. Ezech. XXXIV, 23. Nimirum Christus Jesus

- o) Quæ Cant. VII, 1. *Sulamitis* a Salomone (vr a *Friderico Fridericia* vel *Fridericana*) h. e. *perfecta* aut *pace donata* adpellatur.
p) Conf not. marg. in Codicibus Hebræis Gen. XVIII, 3. c. XIX, 2. 18. c. XX. 13. &c.

Jesús Ἰησοῦς hic ille *Salomo* h. e. *Princeps Pacis* Esa. IX, 5. Hebr. VII, 2. & Sponsus est, quem tantopere desiderat, laudat & prædicat in hoc libro Sponsa, Ecclesia, & pia ac sanctior quævis anima, coll. Apoc. XXI, 2. 9. 2. Cor. XI, 2. Eph. V, 25. seqq. & c. non *Salomo* ille typicus, coll. Psalm. LXXII, 1. nec etiam *Deus* absolute spectatus, coll. Job. XIX, 25. Atque vti illud per se consistere nequit, quando Judæi nonnulli v. c. BECHAI Præf. Comment in Pentat. fol. 3. a ipsam *Torah*, h. e. *Legem* s. *Scripturam Sacram* sub *Sponse* nomine intelligendam putant; ita absit, vt apostolica Synagoga, quamdiu pertinaciter illa Veterum perfidiam Joh. XIX, 15. tuetur, & imitatur, pro illa Deo vnice dilecta & tantis encomiis ornata Sponsa habeatur. Quin potius agnoscant illi tandem, in quem majores ipsorum pupugerunt Zach. XII, 10. Apoc. I, 7. nec persistant semper in inveterato errore Aët. II, 40. c. III, 19. Siquidem aliud nomen sub cælis datum non est, aut dabitur vnquam, quam nomen JESV nostri, in quo & Judæos salutis suæ cupidos, salvos fieri oportet Aët. IV, 12.

§. VIII.

Subducendus igitur animus per omnia hic est a terrenis & carnalibus conceptibus ad spirituales, eosque maxime sublimes; & inprimis iuvabit præter Psalmum XLV. jam supra ad §. 5. laudatum, cum ex V. T. Esa. LIV, 5. c. LXI, 10. c. LXII, 4. 5. Ezech. XVI, 3. Hof. II, 18. 22. tum ex Novo Eph. V, 25. seqq. 2. Cor. XI, 2. Matth. IX, 15. c. XXII, 2. c. XXV, 1. seqq. Joh. III, 29. Apoc. XIX, 7. 9. c. XXI, 2. aliaque similia loca conferre: ex quibus, cum cura consideratis, abunde patebit, non insolentem esse, nec sacris Scripturis inusitatam *nuptiarum similitudinem*, quum Spiritus S. Christi erga

*Parallelismus
realis in V. &
N. T. com-
mendatur.*

Scrupulus
sollitus.

Ecclesiam, & hujus erga illum amorem & adfectum vis veluti coloribus pingere nobis vult & representare. Nec mirum etiam videri debet (quod bene apud POLVM h. l. DURHAMVS monuit) eadem Ecclesiae in genere adscribi & individuis: quia Ecclesia est totum homogeneum, cujus partes ejusdem sunt naturae: & *omnibus illius membris communis est maritus, spiritus, fides, &c.* Eph. IV, 4. 5. Et licet circumstantiis ac gradibus varient; in essentialibus tamen conveniunt, collatis BERNHARDI verbis, supra §. VI. citatis, Interim tamen omnino quaedam in hoc Cantico dicta admittimus, quae cum aliis, praesertim propheticis textibus collata, in summa emphasi singulis fidelibus; quaedam etiam, quae universae Ecclesiae quorumvis temporum paullo difficilius applicari posse videntur: v. c. *de vnica illa & praecate-
ris carissima c. VI, 7, 8. quam sexaginta Reginis, octoginta uxoribus secundariis, & infinitae Virginum multitudine, iisque omnibus non extra, sed intra Sponsi familiam & Sponsae consortium spectandis, coll. Psalm. XLV, 10. 15. 16. opponit. item Cant. II, 11. seqq. coll. Matth. XXIV, 32. & Cant. III, 6. coll. Hof. II, 16. 17. Jer. XXXI, 2. &c.* Ita vt non solum *mystica* hic sint, quae de Sponsi & Sponsae divinis amoribus dicuntur, praesertim si distributive ad *piam quamque animam* sub Sponsae imagine respicias; sed etiam *prophetica*, si *universam Ecclesiam* spectes: h. e. non talia tantum, quae omni aetate & tempore fiunt, quum animae fideles Christo vt Sponsae copulantur 1 Cor. VI, 17. sed etiam quae cum Ecclesia fieri debebant, aut adhuc fient aliquando majori cum splendore ac gloria, coll. Apoc. XIX, 7-9. c. XXI, 2. c. X, 7. &c. Adeoque non male eatenus Targ. ad cap. I, 1. diserte addidit: די אמר שלמה נביא מלכא

: הקדש מלכא ישראל ברוח הקדש *quod Canticum composuit Salomo Propheta, Rex Israelis, in Spiritu S.* Quomodo etiam ARABS post tituli verba authentica adiecit: *Filii Davidis, Prophetae.* Sic AVGVSTINVS loco supra §. VI. citato: *Prophetasse etiam Salomo reperitur in suis, qui tres recepti sunt in Canonicam autoritatem; & A. b. E. præf. in hunc librum: Quum diserte Scriptura dicat, Deum vna & altera vice Salomoni adparuisse, quid mirum est, inquit, quod de futuris hic vaticinatur? nam per Spiritus S. instinctum hunc librum conscripsit.* 9) Et quid multa? Veteres & recentiores Interpretes communiter, quantum vidimus, initium Cantici ad desiderium Ecclesiæ pro adventu Christi in carnem, referunt; adeoque adventum illum a Salomone in Spiritu prævisum & exoptatum esse, sentiunt. coll. Psal. XIV, 7. Matth. XIII, 17. Luc. X, 24. Vnde neque nos omnem propheticum hujus Libri sensum excludendum putamus; in adplicatione tamen intra mediocritatis nostræ mensuram merito subsistimus: nec quod doctissimus IO. MARCKIVS ad c. II, 13. p. 250. inter alia monuit, verba generalia, quæ Ecclesiæ suo modo semper, & eminenter sub diebus N. T. variis & distinctissimis conveniunt, pro mero arbitrio aut hypothesis restringenda ad hanc vel illam specialem N. T. ætatem, vel etiam ad integrum N. T. tempus, cum alterius totali exclusione, putamus.

§. IX.

Quod ad *Formam* Cantici vel *modum tractandi* attinget, velut *dramaticus* aut *dialogisticus* ille est: non enim ipse auctor Cantici; sed alii, velut in dramate, & per *dramaticus* vari-

C 3

9) Multus etiam est ABARBANEL in Comment. ad 1 Reg. 3. §. fol. 204. b. c. vt Salomonem vere Prophetam fuisse, ostendat; ejusque pleraque excerptit & retulit MEYERVS ad Seder Olam p. 648, 653.

varias vices loquentes introducuntur. 7) Attendendum igitur est ad personas vel secum ipsis, vel cum aliis colloquentes, *Sponsum* nimirum ejusque *Socios*, & *Sponsam* & *filiam Jerusalem*, *Sponsæ* sodales. Auspicium verborum *Sponsa* facit c. 1, 2. seqq. & modo in 3. persona, velut secum, aut cum sodalibus suis, aut cum vigilibus etiam c. III, 3. de *Sponso* loquitur; modo per *Apóstrophem* ex vehementia adfectus ad *ipsum conversa*, ipsum in 2. persona compellat & vocat; nonnunquam etiam membra sua vel sodales secum conjungit, vt cum c. 1, 4. dicit, *curremus & exultabimus* &c. Pariterque *Sponsus* ad *Sponsam*, tanquam vnus c. 1, 8. 9. 10. mox etiam cum *Patre & Spiritu S.* vnitus, pluraliter v. 11. interdu[m] etiam ad *Hierosolymitanas*; vt c. 11, 7. nonnunquam etiam ad *socios suos* c. 11, 15. loquitur. 5) Ambo autem velut mutuis encomiis certant, & sub variis casibus constantem & flagrantem amorem sibi invicem sapius testantur. Interdu[m] etiam nec *Sponsus* nec *Sponsa*, sed e. c. c. III, 6 *Sponsæ*, & c. III, 7- 11. *Sponsi sodales* verba facere videntur.

§. X.

Stilus sanctissimi Carminis poeticus est & *figuratus*, h. e. perpetuis metaphoris & allegoriis & similibus 1) ornatus:

Stilus figuratus & difficilis.

- 1) ORIGENES apud Hieronymum Tomo VII. fol. 63. b. *Epithalamium libellus*, i. e. nuptiale carmen, in modum mihi videtur dramatis a *Salomone conscriptus*: quem cecinit instar nubentis sponsæ, & erga Sponsum suum, qui est Sermo Dei, cœlesti amore flagrantis. Adamavit enim eum *sive anima*, quæ ad imaginem ejus facta est, *sive Ecclesia* &c. Conf. monita in preced. §. VIII.
- 2) Idem ORIGENES l. c. fol. 64. a. Fit ergo Sermo ab ipsa *Sponsa* non solum ad *Sponsum*, sed etiam ad *adulescentulas*; & rursum *Sponsi* sermo non tantum ad *Sponsam*, sed etiam ad *amicos* dirigitur *Sponsi*.
- 3) Quæ tamen ultra tertium comparationis non extendenda, aut ad vivum quasi reseranda, & huc illucve, etiã satis incommode id fiat, ad-

natus: & modo *bucolicus* seu *pastoralis*; modo *georgicus* seu *hortensis*; interdum *urbicus* vel & *aulicus*; semper autem *eroticus* s. nuptialis; & nunquam *vituperatorius*, quod in Midrasch bene monetur; unde similitudines omnes non in vituperium, sed in laudem dicuntur: nonnunquam etiam *hyperbolicus*, & per concisas locutiones, antiqua emblemata, profundum sensum, & ordinem varium, ac sæpe quali interruptum, adeo *difficilis* ac *sublimis*, ut vix quisquam inter homines, præter ipsum Salomonem, adhuc omnes ejus profunditates se exhaustisse præsumere de se possit. Interim tamen recte omnino de hoc Cantico dixerit, quisquis divinas ejus delicias gustaverit: *Quantum intelligo est præstantissimum; ideoque quod non intelligo, tale esse judico*, & melius indies me omnia percepturum confido. Nam etiam hic additur habenti Matth. XIII, 12.

§. XI.

De Distributione etiam & partibus libri dicendum ad huc breviter esset, si modo brevitatem admitterent tum creberrima in ipso Cantico personarum & statuum variatio, tum diversæ admodum eruditorum (si eos in subsidium vocaveris) de argumento libri, ut jam supra §. V. diximus, sententiæ. Qui enim mere Propheticum esse Canticum sentiunt, vel cum BRIGHTMANNO hic reperiunt *primo Ecclesiam legalem*, tum ante captivitatem c. I. tum in captivitate c. II. tum post captivitatem ad Christi natales c. III, 6. & mortem c. IV, 6. *dein-*

Distributio libri & partium ejus.

applicanda non sunt; ut quum e. c. *Caput Sponse Carmelo* c. VII, 6. *nasus turri* in Libano c. VII, 5. *oculi piscinis*. c. VII, 4. 5. 6. & *dentes gregibus gemelliferis*, in certo tertio omnino venuste, comparantur. *Semper ante oculos habere oportet consilium Spiritus S. absque quo ducere necesse est vacillet omnis interpretatio.*

6. deinde *Evangelicam*, tum inchoatam c. IV. tum consummatam; & *divisim* quidem de natu majore, pura, caligine & tenebris obscurata c. V. sed restaurata c. VI. & de natu majoribus, principe, nascenti & confirmata ætate, ac inferioribus duabus c. VII. & c. VIII, 10. & tandem *conjunctim* c. VIII, 11. &c. Velcum D. HORCHIO in Fasciculo I. facrorum text. & Bibliis mysticis, præeunte Cel. COCCIO, post introductionem cap I, 1-4. *quadruplicem Ecclesiæ Christianæ statum* hic exhiberi sentiunt: 1) *sub Judæis & gentibus* a c. I, 5. seqq. vsque ad c. III, 6. 2) *Sub Imperatoribus Christianis* c. III, 7. seqq. vsque ad c. V, 1. 3) *Sub Antichristo* c. V, 2-16. 4) *Sub libertate*, & quidem duplici gradu: a) per Reformationem Ecclesiæ c. VI, 1-9. b) per accessionem Muhammedanorum, Judæorum & gentium: quod summam c. VI, 9. 10. propositum, in sequentibus vsque ad finem libri amplificetur. Alii vero qui ad mysticum solummodo sensum, vel eum saltem potissimum respiciunt, *celebrationem nuptiarum mysticarum* vel cum *Sanctio per quinque scenas*, 1) evocatione Sponsæ, hujusque 2) de absentia Sponsi dolore, 3) nuptiarum celebratione, 4) Sponsorum in lecto geniali compositione, & 5) Sponsæ in domum Sponsi deductione, hoc Canticum distinctum esse volunt; sed ordine textuum aut Capitum hujus Cantici mire turbato, quod scilicet! res non ut gesta est, sed artificiose descripta illis videtur. Id quod tamen neque nobis placet, neque aliis cordatis & doctis Viris sese probavit. „Vnde CALOVIVS in adnot. suis „p. 1256. *Partes* autem, ait, tres licebit constituere. Prima *desiderium Sponsæ*, Ecclesiæ, sistit, exoptantis adventum Sponsi in carnem, dialogismo Ecclesiæ cum Christo, c. I. expositum, cum *promisso Sponsi*, aduentum

„tum suum & beneficia exponentis, & *reciproca invita-*
 „*tione Sponsæ*, ad lætam eorum fruitionem, desiderium
 „& adfectum reciprocum testantis c. II. *Alter pars libri*
 „*solicitudinem & dolorem Sponsæ de amissione Sponsi in ten-*
 „*tationibus*, cum gaudio ejusdem ob inventionem
 „Sponsi; & porro Sponsi sollicitudinem *de tranquilli-*
 „*tate Sponsæ*, cum oblectationis suæ in eadem declara-
 „tione depingit: exultante Sponsa de *lecto quietis* probe
 „custodito, & *diademate Sponsi* in die desponsationis suæ c.
 „III. ac reciproce sibi gratulante Sponso *de pulchritudine*
 „*Sponsæ suæ*, cum amoris & desiderii sui ardentissimi
 „contestatione c. IV. *Tertia pars libri Invitationem Sponsæ*
 „complectitur in hortum, & responsum Sponsi, cum
 „*gaudio Sponsæ* ob auditam illius vocem, sed mixto lætæ,
 „ob illius discessum; ejusque lætus causa, dialogo ex-
 „posita, summa nempe hujus Sponsi pulchritudine c. V.
 „Qui vicissim Sponsæ suæ venustatem depingit c. VI.
 „& VII. & a Sponsa *invitatur ad egressum in agrum*, vt
 „*fin. cap. VII.* Sponsæque desiderii respondet re ipsa,
 „sistens ei *multitudinem gentium*; ac dilectionis pæna-
 „ritatem exoptantem, gratiæ promissione de confir-
 „matione murorum, & vineæ conservatione, *facto*
 „*tat c. VIII.* Si cui longior, vt est, videtur ista distri-
 „butio, potest is cum HEIDEGGERO bipartitam libri divisi-
 „onem instituire, vt I. *Desiderium adventus Sponsi cap. I,*
 „2-4. II. *Varii Sponsi ac Sponsæ sermones* spectentur, qui
 „bus mutuus amor, admiratio, adfectus, casus secun-
 „di & aduersi declarantur: prout ad singulorum capi-
 „tum initia a Venerando Præside notatum est; etsi ve-
 „rum est, quod loco Præfationis & summariorum hic
 „SCHMIDIVS noster præmisit: *Facilius seve quis Commenta-*
 „*rium*

rium in hoc Canticum Canticorum scribat, quam singula Capita in perspicua summaria contrahat: quia tropis omnia sciant. Propterea etiam aliae editiones Bibliorum summaria Capitum hujus libri non solent habere. Satius tamen utique fuisset, aliquid, quam nihil a B. Viro monitum aut praestitum hic esse.

§. XII.

Lectoris requisita.

Verum satis de his: & jam tempus est, ut Lectores nostros ad ipsa haec sacra considerata sine ulteriori mora admittamus; ita tamen, ut iterum iterumque moneamus, ut sinceram & Christo dicatam mentem adferant. Veteres Judaei quod ORIGENES ^{u)} & HIERONYMVS ^{x)} referunt, ante trigésimum aetatis annum lectionem hujus Cantici suis prohibuerunt, ne quid carnalis sensus per abusum quis inde erueret: rectius utique facturi, si ad animi virtutem potius, quam ad annorum plenitudinem attendissent. Illud tamen ipsa res sanctissimi Cantici poscit, ut Lector sit amans & timens Dei, a foedis voluptatibus abhorrens, mente autem sobrius, temperans, humilis, docilis, & sensus in sacris literis vel jam habens exercitatos, vel saltem eos per veram poenitentiam & fidem in Christum sincere quaerens, ut se-

^{u)} Hom. I. in Cant. apud HIERON. tomo VII. fol. 64. a. Moneo & consilium do omni, qui nondum carnis & sanguinis molestiis caret, neque ab adfectu naturae materialis abscedat, ut a lectione libelli hujus, eorumque quae in eo dicuntur, penitus sibi temperet. Ajunt enim, observari etiam apud Hebraeos, quod nisi quis ad aetatem perfectam maturamque pervenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur. cet.

^{x)} Praef. in Ezech. ad Eustochium Tomo V. p. m. 458. Nam nisi quis apud Hebraeos aetatem sacerdotalis ministerii, i. e. trigésimum annum impleverit, nec principia Genesis, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis (Ezechielis) exordium & finem legere permittitur: ut ad perfectam scientiam & mysticos intellectus plenum humanae naturae tempus accedat.

cundum Dei sapientiam clariore Scripturas cum ob-
scurioribus dictis in hoc Cantico recte conferre pos-
sit. Alioquin enim divina, quæ ex hoc scripto elucet,
& tamen sub verborum involucris latet, sapientia ani-
mam peccati studio coinquinatam non intrabit, nec
fructus, ex lectione Cantici excellentissimi omnibus
piis expectandos, ejusmodi impurus homo vnquam
reportabit aut percipiet. *In verbis enim Cantici Canti-
corum ille cibus est, de quo dicit Apostolus: Perfectorum au-
tem est solidus cibus; & tales requirit Auditores, qui pro
possibilitate sumendi, exercitatos habent sensus ad discretionem
boni & mali, vt aliquoties hic laudatus ORIGENES l. c.
ex Hebr. V, 14. monet.*

§. XIII.

*Quare etiam nos cum Apostolo Eph. III, 14. seqq. ^{Votum.}
flectimus genua nostra ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,
a quo est omne donum bonum & perfectum, vt pro diuiniis
gloriæ suæ des nobis, virtute corroborari per Spiritum suum
in interiore hominem, quo Christus per fidem habitat in ani-
mis nostris: vt firmus in charitate radicati atque fundati, ita
vt comprehendere vna cum omnibus sanctis atque cognoscere
valeamus, quam late longæque, quam profunde & sublime
pateat, & quam omnem cognitionem nostram excedat amor
Christi: quo impleamur in omnem plenitudinem Dei. Ei
vero, qui super omnia facere potest longe copiosius, quam nos
poscere aut intelligere, secundum veritatem, quæ in nobis ope-
ratur, Ei, inquam sit gloria in Ecclesia per Christum
Jesum in omnium sæculorum perpetui-
tatem: Amen!*

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

Index.

- I. Index Disputat. sig. Jacobi Baumgarten.
- II. Explicatio loci difficultioris Joh. x: 33-38. *Proventum*
tatem Christi probantis.
- III. Precatio Christi pro avertendo calice Matth. xxv: 39.
- IV. De Sictis scripturae sacrae probantibus.
- V. De Christo a Judaeis conspiciendo, quando dicebat
celebretur veniens in nomine Domini Matth. xxiii: 39.
- VI. De gradibus Peccatorum.
- VII. De Concilio Tridentino, quantum per illud melior detentio
facta fuit Ecclesiae Rom. quantum ex eo Ecclesia nostra cepit
evoluntatem.
- VIII. De Patrum primitiva Ecclesia feliciori successu in
profliganda genti superflua quam in confirmanda doctrina.
- IX. De Discrimine ejus quod dicitur Naturale Ecclesiae,
rale in Theologia.
- X. De Anamartesia ab hominibus in hac vita non ostendendo.
- XI. De scriptura sacra.
- XII. De obaptismi demonstratio et Vindicta.
- XIII. De oblygancia simuletanea illegitima ex numero
hominum utriusque sexus.
- XIV. De gradibus bonorum operum et Virtutis.
- XV. De Anamartesia Christi ejusdem Necessitate.
- XVI. De peccato in Spiritum sanctum Joh. vi: 45. 6.
- XVII. De pietate ministri Ecclesiae ab auditore
caute examinanda.

Index

- XVIII.** Examen miraculi legionis fulminatricis.
XIX. De Infallibilitate Pontific. Roman. autocalocrypta.
XX. Vindicia testimoniorum quibus Christus superiori-
tatem Patris affirmare videtur.
XXI. Examen sententia Veterum Christianorum de Militia.
XXII. De Imputatione peccati Adamicæ posteris facta.
XXIII. Vindicia Testaturæ Novi Testamenti.
XXIV. Scientia fidei et experientia Discrimen et re-
quid in Theologia necessarium.
XXV. Vindicia demonstrationum divinitatis scilicet a su-
ppositione circuli vitiosi.
XXVI. Vindicia præparum Otemarum.
XXVII. De Efficacia scilicet facta naturali et supernaturali.
XXVIII. De Christo homine obligatione legum divinarum ante
cedente et externa soluto.
XXIX. De Vocatione Dei ad salutem variis ejus gradibus
graduumque rationibus.
XXX. Demonstratio extra Exceptionem non dari salutem.
XXXI. De Instantia religionis revelatae præ Naturali.
XXXII. De Ultima Cena Christi paschali.
XXXIII. De Circumspectione hæretologica.
XXXIV. Historia Trisagii.
XXXV. De Conversione non instantanea.
XXXVI. Examen variarum opinionum de regno posterion
Abrahami in Aegypto.
XXXVII. De Juda sacra coena Conviva.
XXXVIII. Vindicia vera et realis corporis et sanguinis
Christi in sacra Coena presentis.

Index

72 264 8


- XXXIX. De Discrimine Revelationis et Applicationis.
- XL. De Propagatione et gradibus peccati Originalis.
- XLI. De Paulo gentium Apostolo.
- XLII. Annus sacro Jesu Christi in lucem editi commendatio.
- XLIII. Natalis Jesu Domini succincta Enarratio solennium quibus memoria Christi in lucem editi antiquis quibus celebrata est.
- XLIV. Annus sacra Natalium Jesu Christi commendatio de Chriologia Veteris Testamenti generatim tum a Judaeis agnita quam in Novo evoluta.
- XLV. De Fide in Christum.
- XLVI. De Traumaturgia vera religionis Characteribus.
- XLVII. De Cantico Canticorum Salomonis.
- XLVIII. Quid ratio de suscitatione Corporum cognoscat.
- XLIX. De Itinerariorum Orientalium usu.

H. Darda.

(X2311098)







Farbkarte #13

B.I.G.

45 XLVII

96

DISSERTATIO PHILOLOGICO - THEOLOGICA
DE
**CANTICO
CANTICORVM
SALOMONIS,**

QVAM
DEO VIVO ANNVENTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
D N. CAROLO,
PRINCIPE PORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, ET RELIQA,
PRÆSIDE

IO. HEINRICO MICHAELIS
S. S. THEOL. ET SS. LL. PROF. PVBL. ORD.
FAC. THEOL. h. t. DECANO,
PATRONO SVO, PRÆCEPTORE ACHOSPITE
ÆTERNVM VENERANDO,
A. D. XXI. April. clo lccc xvii.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
Placido Eruditorum Examine subjecit
SAMVEL MARQVARD,
BERNAVIENSIS MARCH. S. Th St.

AVCTIVS RECUSA
Sumtibus CHRISTIANI HENCKELII
HALAE MAGDEBVRGICAE clo lccc xxxviii.

